DE

INUNCTIONE MERCURIALI

IN

MORBIS SYPHILITICIS INVETERATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

SCRIPSIT

ET

AUTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

summorum

IN MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

honorum rite obtinendorum causa

UNA CUM THESIBUS

DIE XXII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLV.

PUBLICE DEFENDET

Emmericus Schütz

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

GUILELMUS FLEISCHER, Dr. med.
OTTO LANGE, Dd.
THEOD. BAUDEVIN, Cand. med.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLV.

COMITI DE ORIOLLA

LEGIONIS BONNENSIS PRAEFECTO

ET

Dr. ELTZE

LEGIONIS BONNENSIS MEDICO

VIRIS OPTIME DE ME MERITIS

EXIGUUM HOC

PIETATIS ET REVERENTIAE SIGNUM

EXSTARE VOLO.

I.

Historia breviter succincta.

Morborum syphiliticorum singularis proprietas exeunte demum saeculo XV. medicorum animos in se convertere coepit, sive quod tunc primum ortus est ille morbus, sive quod bello Neapolitano et si quae sunt aliae causae pestiferum in modum circumvagabatur.

Gallicus plerumque morbus, in ipsa Gallia la grosse vérole appellata primis statim annis ubi cognita est, syphilis multarum disputationum ansam praebuit. Plurimae, de quibus adhuc etiam disceptatur, quaestiones, proximis iam annis L instituebantur et diligenter agitabantur; imprimis qnaerebant, quid de hydrargyri usu iudicandum esset, qui quidem primum inungendo solum fiebat, et qua ratione hic usus vel praestaret vel posthabendus esset tractationi non specificae.

Hydrargyrum enim, Aristoteli ac Theophrasto argenti liquidi, Plinio argenti vivi nomine cognitum ex longiore iam tempore a medicis non adhibebatur, quoniam venenatum ducebatur. Galenus venenis illud adnumerat neque unquam eo se usum esse dicit. Arabes primi fuerunt, qui exteriorem eius usum faciebant eumque per unguenta ad delendos pediculos omnemque morborum cutaneorum exercitum. Ex illis hic nominasse satis sit Serapionem, Avicennam, Rhasin, Isaacum. Quos viros hoc in usu mox omnes fere Europae medici secuti sunt. Anno 1363 apud Guy de Scholiack certus iam hydrargyri adhibendi modus reperitur. Neque vero illo tempore, quae inunctionibus hisce efficiebantur, salivati-

ones ignorabantur, quas ut prohiberent omni ratione studebant.

Deinde cum morbi venerei animos in se convertissent terroreque ingenti tantae pestis homines afficerent, medici generalem tantum tractationem amplectebantur, quod, quae tunc erat de quatuor liquoribus corporis sententia, morbum esse sanguinis atque in hepate habitare putabant. Itaque corporis regimen diaeteticum ad corrigendum sanguinem commendabant; praeterea ad id ipsum et ad expellendum phlegma istud, novo morbum ortum, venaesectione curabant, laxantia, sudorifera et lenientia remedia adhibebant. Exanthemati enim toti corpore superfuso eisque qui aderant dolores, omnes morbis contineri illis videbantur. Si quae erant singulis locis mala, unguentis anodynis, fomentationibus emolientibus, ex siccantibus bolo Armenico etc. tractabantur, prorsus eodem modo, quo medii aevi chirurgi, partium genitalium ulceribus, quae eis accidebant, mederi solebant. Interim cum hanc methodum minime sufficere intellexissent, quoniam antea ad sanandos leprosos, scabiosos omnesque morbos cutaneos, qui medio aevo plurimi erant, hydrargyri inunctione non sine eventu usi fuerant, analogiam tenentes in syphilide eadem uti coeperunt. Wietmannus (1497) iam multa laude eam effert, in primis vero Hispani et Itali, qui ab Arabibus eius usum didicerant, ea utebantur. Neque tamen satis caute plerumque eam adhibebant, aptumque inunctiones modum ignorabant; quare non plurima modo damna faciebant, sed multos quoque medicos ab usu averterunt. Haesitantes deinde medici a tractanda syphilide, quae tam foedam prae se speciem ferebant, ut ipsi leprosi propinquitatem illa affectorum fugerent, manus detraxerunt tonsoribusque haec curanda reliquerunt. Quae hinc ovenerint facile nobis animum inducere possumus. Inde horrendae illae sudandi illinendique tractationes quae capitis nonnunquam periculo fiebant, quarumque

Ulricus ab Hutten horribilem nobis imaginem ante oculos collocavit. Paucissimi tantum medici sypilidem tractare non desiverunt. J. Almenar [1]) Hispanus, primus est, qui certo lege hydrargyri inunctiones fieri iubet. „Talis servetur ordo, ait, ut prima et secunda die accipiat syrupum patiens; tertia autem die facias ungi cum unguento inferius describendo omnes partes domesticas tibiarum et brachiorum, et plantas pedum et palmas mannum, leniter tamen et parum apponendo de unguento, et hoc quando vadit patiens dormitum. Et de mane accipiat etiam suum syrupum, ita ut in sexta die sint accepti sex syrupi, et sint factae tres unctiones, et tunc dabis medicinam solutivam et humores, qui peros expelli debebant, ad inferiora divertentur, et sic evitabitur nocumentum in ore. In diebus autem sequentibus simili modo utaris, fortificando tamen aliquandulum digestivum et etiam unguentum, ponendo magis de theriaca et argento vivo. Potes etiam illa loca fomentare cum decoctione meliloti, radicum altheae, et similium, et hoc faciendo mane, et sic erunt tria ingenia simul ad digerendum scilicet syrupi, unctiones, et fomentationes.“

Quinque post annis Bologninus [2]) inunctionem accuratius etiam descripsit, quae quoniam tamquam norma est omnium adhibendi hydrargyri generum, hic a me recipiatur. Primum igitur corporis partes illas ad inunctionem praeparandas curat, quem ad finem fomentationes decoctarum herbarum aromatic. fieri vult. „His praeparatis ad suscipiendas virtutes linimenti, subsequenter ea pannis lineis calidis abstergantur, et dei nutu inungat infirmus per semet ipsum loca fomentata, eo in loco calido sedente, ut puta inter duos ignes, unguento in extremitatibus digitorum tepefacto, de quo infra. Inunctis his

1) Luisinus, pag. 364.
2) Gruner, aphrodisiacus, pag. 123.

partibus, fascientur loca illa cum fascia calida, supra posita prius stuppa canabina, continueturque talis fasciatio, donec continuatur talis inunctio, et continuetur talis inunctio usque ad diem quartam sive quintam inclusive, et forte plus, donec dentes dolore inceperint, sive phlegmata per gingivas notabiliter dissolui, sive superfluitates peccantes alia regione sensibiliter, seu insensibiliter evacuari, et tunc a tali linitione desistendum erit. His autem apparentibus, abstergantur et mundentur loca inuncta a tali linimento cum panno lineo rudi et novo, cavendo infirmum summopere a principio linitionis usque ad finem curae a frigore, ita, quod non egrediatur domum, donec cessabit fluxus phlegmatis et aliarum superfluitatum evacuatio. Et ne praenominatus evacuandi modus in aliquibus casibus videatur fallax et mendosus, erit attentendum, quod forti aegritudine apparente, et medicamini tuo resistente, virtute existente robusta satis, non est absurdum totum corpus stuffari, et linitionem nostram usque ad humeros et ilia forte et dorsum terminari, subsequenter infirmum pannis calidis involutum in molli lecto collocari, et cum sacculis calefacti ordei circumdari. Et e contra virtute debili existente et aegritudine infestante, ab his iam dictis evacuandi modis erit desistendum, et a levioribus pro eius cura procedendum, seu localibus appropriatis, de quibus infra, palliandum. Quare aequaliter librando fortitudinem virtutis et aegritudinis, et liniendi modum inter se, interdum tui honore, linimenti venerationis conservatione, infirmi utilitate, non erit inutile."

Inter hanc methodum Bologninus carnibus delicatioribus dulcique vino vesci aegros iubet. Ipsum unguentum hydrargyri, quod quomodo praeparandum esset, accurate descripsit, mixtum est substantiis resinosis et aromaticis. Hinc facile cognoscitur, interfuisse Bolognini id maxime, ut salivationem excitaret, quod ea re phlegma istud syphiliticum expelli autu-

mabat. De crisi adducenda ipse non magis cogitabat, quam posteriorum temporum medici. Attamen id Bolognino exprobrandum non est, quippe qui Arabes sicut sui temporis omnes secutus sit; eo magis posterioris et vel nostri temporis medici reprehendendi sunt, qui inveterato illi errori adstipulati ipsi cogitare, inquirere et rei naturam cognoscere noluerunt. Tali methodo quid mirum, quod pauci tantum sanantur, cum palliativa tantum erat mali curatio? Itaque fides quoque hydrargyri inunctionibus habita, sin minus deleta et valde debilitata est, quoniam, quae eas sequi solent, mala magis in dies conspiciebantur.

Vigo [1]) quoque, cuius methodus Bologninianae proxima est, inunctionem fieri vult, „donec dentes dolere inceperint," num autem postea denuo inunguendum sit, non dicit, sed: „Et curat intra hebdomadam haud dubie morbum Gallicum cum omnibus eius accidentibus, de quibus in antecedenti capite mentio facta fuit, materiam antecedentem et facientem ulcera, dolores et tuberositates per os secessum, vel per multos sudores educendo." Quae si animo reputaveris, mirum non est, tonsores ac sudandi illinendique methodis, quae nunquam triginta minus dies durabant, longe alia effecisse, si quidem qui huic tractationi se subiecisset, vivus evadebat neque morbo mercuriali affectus vitam trahebat.

Ab hisce viris transeundum est ad alium virum, qui inunguendi methodo auctoritatem fecit, praeclarum illum Astruc, qui, dum vixit, magnus appellabatur et famâ suâ totum saeculum regebat. Liber [2]) quem de morbis venereis ille composuit, egregium est eius documentum. Cum accuratissima diligentia, quae ne minutas quidem res neglegeret, raroque intellectu omnia legerat, quaecumque de syphilide scripta fu-

1) Luisinus, pag. 454.

2) J. Astruc, de morbis venereis libri novem. Paris 1736.

erant, ita ut eius libro tamquam encyclopaedia syphilitica omnia contineantur, quae ducentorum annorum experientia de gravissima hac re docuit.

Quod quidem ad eam rem, quam nos tractamus, attinet, Astruc inunctioni totus favebat. Mala quae salivationis methodum insecuta erant, effecerant denique ut omnes ei obsisterent; iamque inimici eius aliud remedium invenerant, quod illius locum in therapia occuparet, exstinctionis methodum. Astruc igitur sibi methodum finxit, quae mediam quandam inter utrasque illas viam tenebat, quam methodum salivationis rationalem appellare licet. Inunctionibus faciendis maximam cautionem adhibuit, summa eas cum diligentia fieri iussit, strenua dedit praecepta, ut et modica et continua salivatio efficeretur, omnia quaecumque salivationis methodus afferre posset mala praemonuit significatis remediis, quibus illis occurreretur. Quodsi paulum ipsam methodum missam faciamus, fieri non potest, quin accuratam diligentiam admiremus, quacum Astruc hanc partem practicam operis sui tractavit. Quare exemplum est, quod continenter syphilographis proponatur, qui saepissime sententiis, quae dicuntur, abstractis et theoreticis praeoccupati reperiuntur. Attamen negari nequit, eius libros ab erroribus et vitiis liberos non esse, et praecipue vituperandus est, quod unumquodque partium genitalium ulcus inunctione tractari vult.[1]) „Caeterum ulcuscula omnia, utcunque mitissima videantur, id proprium habent, quod luem vel praesentem attestentur, vel futuram praenuntient."

Alius deinde, qui totus adhaeret inunctionis methodo, Faber est, Petiti discipulus. Postquam anno 1718. Chicoineau et fieri posse et longe praestare dixit, ut syphilis sine salivatione sanaretur et ita fundamenta iecit scholae, quae

1) Editio Paris 1738, Lib. III, Cap. VII, pag. 284.

dicitur, Montpellieranae, antiquiorem methodum Faber redintegrare studebat, quamquam recentiorem non omnino reiecit.

Neque hic praetereundum est Swediauer praeclarus auctor, qui exstinctionis methodo favens in libris suis a. 1784 in Britannia editis, alioque opere quodam, quod anno 1798 in lucem emisit, omnia complexus est, quaecumque itineribus per Europam factis gravia de hac re didicerat. Neque a re nostra alienum videbitur, paullo accuratius eius methodum hic describere. Incipit ille quidem a remedio purgante. Uno die ante inunctionem aegrotus balneo calido uti in eoque totum corpus sapone, deinde peniculo bene fricare debet; idque semel bisve per hebdomadam faciendum est. Postero die remotis pilis a membris inungendis, frictiones incipiunt, unamque drachmam unguenti mercurialis internae parti femoris per unam horam vel dimidiam eius partem aegrotus inunguat oportet. Quo eodem loco prius quam alteram inunctionem fiat, iterum aqua et sapone eum lavari iubet, quod munus nisi apud feminas crassioresque homines per alios fieri non patitur. Quodsi prima inunctione mali nihil accidit, duobus diebus post iam altera fit. Per id tempus aeger nec nimis leviter vestiri nec si tempestas aut frigida aut humida est, exire debet Tum uno intermisso die si mala nondum evenire sensit, mane vespereve cuiusque diei continuari inunctionem vult, sed secundo quoque vel tertio die alio loco. In malis inveteratis, nisi febris, alvus aperta, salivatio aut sudor nimius impedit, duas semper drachmas unguenti inungui vult. Si tempestas bona est, et exire domo et muneribus suis fungi potest atque in lenioribus morbis usque ad diem trigesimum vel trigesimum quintum, in gravioribus usque ad diem quinquagesimum, sexagesimum, septuagesimum pergit.

Quodsi gingiva intumescere incipit, per aliquot dies frictiones intermittuntur, et in malis induratis usque ad finem totius rei ad decem septem uncias unguenti adhibet. Pari

modo Cullerier in primitivis simplicibusque malis 40—45, in inflammationibus autem glandularumque tumentiis 50—55, atque in malis induratis 80—100 drachmas unguenti adhiberi vult.[1])

Iam ad gravissimum, cui syphilis et doctrina et tractatio permultum debet, virum venimus, Hunterum dico, qui in operis tripartiti parte prima syphilidem ipsam, secunda symptomata localia, tertia syphilidem universalem tractat. Ille mercurio unice addictus multum tribuit unguento mercuriali, quod Guaiaco, Sarsaparilla et si opus est, Cicuta et Opio adiuvat. Ex eius sententia in victu aegri nihil immutari opus est. Poterat enim usitatis rebus vacare. Secundum ea, quae de dispositione syphilitica sibi persuaserat, ut nunquam in sanandis symptomatis quiescatur sed, hisce evanidis, ut dispositio ipsa deleatur monet. Certum aliquem finem huic rei non proposuit, sed in universum tantum praecipit, ut secundum morbi et longinquitatem et vehementiam in hoc studio perseveretur.

Haud ita multo post etiam apud Beniam. Bell Mercurium extra adhibitum prae ceteris modis eius adhibendi praedicari videmus. Mediam ille inter veterem salivationis methodum et exstinctionis viam quandam tenuit. Guaiaco, Sarsaparilla reliquisque remediis diaphoreticis ipse quoque secundo loco utebatur.

Hic quamquam multi alii modi, quibus in Mercurio inunguendo usi sunt, afferri possint, quandoquidem suus fere cuique est, tamen ex eis, quos attulimus, satis apparebit, duas potissimum hac in re exstitisse sententias, quibus morbos sanari putabant. Una erat, ut glandulae salivales celeriter ac continenter afficerentur. Ab hisce igitur medicis salivatio eaque et crebra et continua, maximi momenti habebatur, qua

1) Cullerier, über die Lustseuche, ihre Zufälle und Heilmittel. Mit Zusätzen von J. Kl. Renard. Mainz 1832, pag. 328.

sanatio fieret. Quae sententia quamvis rudis sit, tamen historia nos docet, hac via multa milia hominum sanata esse. Sed fieri etiam non poterat, quin cum salivatione celerius orta, priusquam ad exstingendam laem sufficiens Mercurii copia corpori afferri posset, res intermittenda et multi aegri male sani relinquendi essent, tum nimia salivae iactura, ciborum captu impedito, continuis doloribus noctibusque insomnibus, virium omnium debilitatio, febris hectica, gangraena linguae, gingivae, palati mollis, reliq. denique mors ipsa efficeretur. Quo factum est, ut haec methodus neque sufficiens et periculosissima et adeo letifera diceretur.

Altera methodus, cui maior numerus adsentiebatur, id spectabat, ut salivatio non excitaretur. Venenum syphiliticum hydrargyro aequare salivationem, quam Mercurio male effici iudicabant, quoquo modo prohibere studebant. Quodsi nihilominus prima salivationis vestigia videbantur, hydrargyri usus longius in tempus intermittebatur. Qua ratione iterum fieri nequibat, ut multi quidem plane sanarentur, alii vero, vix nonnullis morbi formis deletis, denuo mox aliis formis vexarentur nec funditus sanari possent.

Imprimis vero, ut inunctio speratos non ubique effectus haberet, effecerant vana imo noxia, quae multi medici aegrotis de diaeta dabant, praecepta. Recordemur enim, Hunterum nihil omnino solitae occupationis et vitae aegrotos mutare voluisse.

Mali igitur eventus Germanicos plerosque medicos ab inunctione revocaverant, donec Louvrier singularum rerum gravitatem clarius ostenderet et ponderaret, quas et sua ipsius multorum annorum experientia et aliarum rationum observatione cognoverat. Ostendit ille, syphilidem Mercurio nonnisi religiose servatis praeceptis diaeteticis sanari posse atque ad sanandam luem inveteratam inunctionem aliis omnibus methodis longe praeferendam esse. Ex praeceptis, quae Louvrier

adhibito ad morbos syphiliticos Mercurio dedit, aegroto vegetabilibus tantum vel carne molli vescendum, spiritualibus praeter cerevisiam non nimis fortem omnino abstinendum, tempestate aut frigida aut humida non exeundum, neque negotiis, donec Mercurio utitur, incumbendum est. Hanc frigoris et aquae fugienda curam aeger ultra etiam adhibere debet, donec aut natura aut medici opera Mercurium expulit e corpore. Dein adhortatur, ne parum Mercurii inunguatur, neve res ipsa sine necessariis indiciis viginti quinque dierum numerum excederet aut antea intermitteretur. Etiam de hac methodo praemunienda certa praecepta Louvrier dedit, aliter ac Gallicorum medici promiscue purgantia balnea et accuratam diaetam praecipiunt, venaesectionem apud sanguinosos et in inflammationes proclives homines tantum fieri voluit; apud infirmos, irritabiles fieri omnino vetuit. Numerum balneorum, quae ante inunctioues fierent, statuit secundum aegrotorum naturam. Erant autem 12 ad 30. Bis per diem lavari aegros iussit et duas continuas horas. Inter inunctionem ipsam non amplius lavabatur. Ad primam et secundam inunctionem nusquam plus quam duas drachmas adhibebat nec excedebat duas et dimidiam. Aegrotos ipsos se inungere ad ignem voluit. Inde a primo inunctionis die usque ad lavationem linteum nec lecti nec corporis mutabatur. Quo autem inunctiones instituebat, hic infra transscribatur.[1])

Ordnung der Einreibungen.

1. Mai, beide Unterschenkel, von den Knöcheln bis an die Kniee.
2. Mai, Absque.

1) Joseph Louvrier's nosographisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen. Nebst Angabe einer zweckmässigen und sichern Methode, veraltete Lustseuchenübel zu heilen. Zweite Auflage, pag. 310.

3. — Beide Obenschenkel, vom Knie bis an die Hüfte.
4. — Absque.
5. — —
6. — Beide Arme von der Handwurzel bis an die Schulter.
7. — bis 15. können nach Umständen 2, 3, 4 auch Einreibungen gegeben werden. Die Tage zu denselben kann man nicht bestimmen; nur kommt die vierte Einreibung auf den Rücken, von den Hüften bis an den Hals; die übrigen werden in erst bestimmter Ordnung auf die benannten Theile wiederholt, so zwar, dass

die 5. Einreibung auf die Unterschenkel,
die 6. „ auf die Oberschenkel,
die 7. „ auf die Arme.
die 8. „ auf den Rücken.
die 9. „ wieder auf die Unterschenkel

und so fort auszubreiten kommen. Num. 5, 6, auch 7 der erst beschriebenen Einreibungen werden frühe Morgens gemacht, darauf aber folgen die Abendsfrictionen, die man Abends so spät als möglich geben lässt, worauf der Kranke immer den folgenden Tag mit frühestem Morgen ein Abführungsmittel nimmt. Der Tag, an welchem die Abends-Frictionen angefangen werden, lässt sich nicht voraus festsetzen; weil die Körper-Constitution und eintretenden Veränderungen im Organismus dem Arzte hierzu einen Wink geben; inzwischen geschieht dieses selten vor dem 14. und darf nie über den 16. hinaus verschoben werden.

Man verordnet also z. B.

am 16. Mai eine Friction auf den in obiger Ordnung folgenden Theil.

am 17. Mai eine Purganz.
— 18. — eine Friction.
— 19. — eine Purganz.
— 20. — eine Friction.
— 21. — eine Purganz.
— 22. — eine Friction.
— 23. — eine Purganz.
— 24. — eine Friction.
— 25. — eine Purganz.

Postquam igitur Louvrier sua de morbo syphilitico dissertatione in tempore locutus est, patefactis quae felicissime evenerant, fieri non poterat, quin viri multi qui mente non praeoccupata rem inquirebant, viam denuo patefactam inirent et felicissimo cum eventu ea progrederentur. Quae Fritz Pragensis, Holzschuh Salzburgensis, clarissimi professores aliique publici praeceptores clarissimi effecerunt, huic rei satis documento sunt. Paullo postea Rust, quem antequam Berolini, in Borussiae capite docuit, multos annos in Austria vixisse omnes sciunt, inunctionem sua methodo clarissimam reddidit. Quae etsi non ita multum differt a Louveriana, tamen maioris iam est perfectionis. De differentiis quae autem inter utramque methodum intercedunt, ipsius Rustii verba haud absona sint:[1])

Einzelne minder bedeutende Modificationen und Grundsätze abgerechnet, die ich hier übergehen und unberücksichtigt lassen will, unterscheidet sich meine Methode, die Mercurialeinreibungen vorzunehmen, von der Louvrierschen dadurch:

a) dass ich im Allgemeinen eine strengere Diät vor-

1) Ueber die Heilkraft der methodischen Quecksilber-Einreibungen in syphilitischen und nichtsyphilitischen Krankheiten, in Rust's Magazin Band I.

schreibe, diese schon während der Vorbereitungs-Cur in Ausübung gesetzt wissen will, und selbst nach geschlossener Cur, um einer Recidive sicherer vorzubeugen, noch durch einige Zeit ein strenges diätetisches Regimen für nöthig erachte; daher auch mein ganzes Verfahren in dieser Hinsicht mehr dem Namen einer Hungercur verdient;

b) dass ich während der ganzen Curzeit, ohne besondere Anzeige, das Fenster nicht öffnen lasse, sondern es im Allgemeinen für zuträglicher halte, wenn der Kranke sich beständig in der mit Mercurialtheilchen geschwängerten Zimmerluft aufhält, und gleichsam mit Mercur von allen Seiten umgeben und durchdrungen wird, wo dann der Eintritt der gewissermassen animalisirtenMercurial-Atmosphäre in die Lunge gerade die innigste und kräftigste Beimischung des Mercurs veranlasst, und bei ganz gesunden Personen schon nach einem Aufenthalt von wenigen Stunden einen Speichelfluss erwecken kann;

c) dass ich dafür aber auch eine geringere Quantität Mercur nicht nur zu jeder einzelnen Inunction verwende, sondern auch während der ganzen Kurzeit bedarf;

d) dass ich endlich die Einreibungs-Cur nicht allein in syphilitischen Krankheiten anwende, sondern auch in allen andern Formen örtlicher und allgemeiner, auf dem gewöhnlichen Wege unheilbarer Krankheiten des ganzen Lymph- und Knochensystems angezeigt finde, und ihre Heilung dadurch allein bewirke.

II.

Casus memorabiles in clinico nostro chirurgico observati.

I. S. mercator, quadraginta annos natus e pago Graefrath apud urbem Neuss sito, a sanis parentibus natus, dicit, se usque ad annum decimum septimum optima usum esse valetudine. Illa autem aetate typho est correptus, quo ex morbo lente reconvaluit; paralysis et immobilitas extremitatum inferiorum remansit. Anno vigesimo septimo aetatis gonorrhoeam est nactus, qua quum tres hebdomadas laborasset, a medico auxilium petiit, sed non restitutus est, duobus tandem peractis annis malum nulla adhibita cura evanuit. A mense Junio anni MDCCCLIII aegrotus dolores in dextero crure sibi esse sensit, cute rupta, ulcus crevit, quod quum in nostrum clinicum reciperetur, $3\frac{1}{2}''$ longum et $1\frac{1}{2}''$ latum erat. Qui circa sunt margines indurati, aliis locis callosi, in aliis acute descissi, in aliis sinuosi apparebant; fundus paululum ruber multis granulationibus onustus erat, passim cicatricum textura aderat, sed secretum serosum moderatum erat. Syphiliticis ulceribus aegrotus se nunquam laborasse dicit; neque genitalia neque fauces vestigia eiusmodi mali ostendunt. Dignoscebatur atonicum ulcus, cuius prognosis eo iniquior videbatur, quod illud in ipsa paralytica extremitate erat. Constituebantur fomentationes calcariae chloratae, Aluminium, solutio argenti nitric., acetum lignosum, decoctum cort. querc., liquor ferri sesquichlorati, Cataplasmata, Cuprum aluminatum. Quae medicamenta omnia et externa et interna: Ferrum, China, Zinchonium, Jod., Arsenic. frustra adhibita sunt. Exulceratio

magismagisque procedebat, ita ut opera et studium medici totum per annum minus prospere succederent. Itaque malum natura syphilitica esse rati, praesertim quum aegrotus se diu gonorrhoea laborasse confessus esset, quacum ulcus syphiliticum urethrae coniunctum fuisse posset, inunctio adhibita est. Antea sex balneis institutis, decimo die mensis Decembris anni 1854 inunctionem aggressi sunt unguent. Hydrarg. ciner. ℨIβ pr. dosi eamque ad septimam inunctionem continuarunt iam in tertia inunctione inclinata in melius aegritudo erat, ut ulcus septima inunctione totum fere cicatricem contraxisset, quum propter immensem salivationem et linguae intumescentiam inunctio omittenda erat, deinde aegrotus abluebatur. Eo ut aegrotus cibos validos acciperet et ulcus non totum adhuc in cicatricem versum remediis loco ipso applicatis curaretur, brevissimo temporis spatio reconvaluit et ineunte Februario prorsus consanatus Clinicum reliquit.

H. W. B. viginti quinque annos natus ex urbe Sellscheid, ut e clinicis libris intelligitur, iam quibusdam annis ante propter cariem superioris partis quartae tibiae sinistri cruris et propter exostosin inferioris partis tertiae eiusdem ossis curatus est et caries quidem e causa syphilitica hereditaria profecta dignota est, quod matrem iam, antequam ipse natus esset, simili ulcere laborasse eiusque praeterea nasum internum dissolutum fuisse aegrotus dixit. Ipse puer exanthemate pustuloso laboraverat, quod quum multos annos iam perdurasset, sensim evanuit, ulcus autem in crure relinquens. Tunc in Clinico nostro curatus est decocto Zittmanni, kalio iodato, balneis et specie ad decoct. lignor., quibus remediis restitutus est. Sed non diu dimissus, recidivo laborans in Clinicum rediit. Aegrotus, quamquam malum tam multos iam annos adfuit, satis bona et valida statura esse videtur neque de ulla alia re, quam de malo locali queritur. Ulcus magnitudinem manus habet inaequalibus, duris, eminentibus

marginibus. Fundus torpidis granulationibus obtectus, subviridem et putridum ichorem secernit. Prope sub ulcere cicatricem firmam et fuscam prioris ulceris videmus, magis deorsum ossa callis induratis, inaequalibus circumdata sentimus. In regione inguinali cicatrices glandularum exulceratarum exstant; cetera omnia optima sunt. Quum in hac re mali causam hereditariam syphiliticam esse non esset negandum, instituebatur inunctio, quae eo maius adhibenda esse videbatur, quod malum tam diu iam permanserat et pristina sanatio minus diuturna fuerat. Postquam ulcus praeparantibus balneis multo meliorem speciem nactum est, die vicesimo septimo Nov. anni 1854 frictiones unguent. Hydrarg. cinerei ʒIβ pr. dosi fieri coeptae sunt. Post sextam frictionem cura intermitti debebat, quod aegrotus de magnis ad caput congestionibus, vertigine, nausea querebatur. Salivatio usque ad hoc tempus pauca fuit. Nihilominus autem magna ulceris mutatio non erat infitienda, medicamentis externis brevi tempore omnino sanatum est, ita ut aegrotus die 28to mensis Aprilis plane restitutus dimitteretur.

P. W. triginta quinque annos natus Bonnensis sanis parentibus usque ad annum decimum septimum bona laetatus est valetudine, quo tempore gonorrhoea est adfectus, quae vero brevi sanabatur; syphiliticis ulceribus nunquam se laborasse contendit. Ab anno vicesimo primo usque ad vicesimum quartum miles semper optima valetudine fuit. Anno vicesimo septimo parva pustula in dextra nasi ala exstitit cuius causam veram ipse proferre non potest, brevi mutabatur in ulcus, quod in dies propagabatur et propria Lupi scrophulosi forma erat. Quae adhibebantur illo tempore medicamenta, ut species lignorum, decoct. Zittmanni, oleum iecor. aselli, Natrum carbon. (Mutterlauge), pilulae ex hydrarg. corros. usque ad salivationem, R̄. Iodi, Arsenic., excisio partium aegrotarum malum supprimere non potuerunt et cura per

totum annum adhibita sine allo eventu mansit. Itaque, quamquam in hoc casu malum esse generis syphilitici constitui non poterat, nihilominus hac in re desperata illinitiones mercuriales sunt factae. Quum tamen post tertiam illinitionem iam periculosa symptomata exsisterent, incepta cura, nulla utilitate allata, omitti debebat. Sed post aliquantum temporis cura caute iterum tentata est; aegrotus tunc sex inunctiones ex unguent. ciner. ℥Iß satis bene pertulit, et malum contra opinionem celeriter et plane evanuit, ut quatuor hebdomadis peractis, sanatus dimitti posset, quin etiam quod plurimum admirandum est, reconvalescens anno 1848 ad stipendia merenda aptus fuit et, ut ante omnes labores militares perferre potuit. Sequenti anno e militibus dimissus, incidit in idem malum, quod magna cum vehementia super totum fere faciem se extendit, alas nasi, labium superius, genas arrodens atque exedens. Aegrotus petiit auxilium in nosocomio civium nostro, ubi per longum temporis spatium fuit in cura, non autem restitutus in clinicum nostrum refugit die octavo Februarii mensis h. a. implorans, ut denuo inunctio institueretur, quoniam bene recordabatur, hac cura ante plures annos se omnino esse restitutum. Aegroto responsum est et inunctio, quod nihil obviam erat, duabus drachmis pro dosi commissa; undecim frictionibus ex unguento hydrarg. ciner. factis, aegrotus vehementer salivabat. Ulcera mercurialia in faucibus aegrotum admodum anxiebant, ulcera per totam faciem diffusa contra quodammodo meliora facta sunt. Ptyalismus et oris affectiones modo remediis adstringentibus sunt remota. Aegrotus adhuc est in cura.

M. K. 46 annorum Bonnensis homo inferiore loco natus die Xmo mensis Februari in clinicum nostrum est receptus. Laborat tuberculis syphiliticis toti corpori adhaerentibus, adsunt duae cicatrices induratae in glande penis et in praeputio, et claram Veneris coronam in fronte prae se fert

aegrotus. Prima infectio, quae ante sex hebdomadas exstiterat, sine medici cura manserat. Quum satis bene eluceret, morbum in secundariis ulceribus syphiliticis consistere, inunctio adhibita est. Praemissis sex balneis die XVI. mensis Februarii h. a. inunctio duabus drachmis unguenti hydrarg. ciner. pr. dosi fieri coepta est. Quum post quintam frictionem vehemens salivatio exstitisset, maculae manifesto evanescere inciperent, ablutus est. Nonnulla nondum plane sanata ulcera remediis levioribus externis solum recesserunt. Die nono April. plane sanatus dimissus est.

J. H. duodetriginta annos nata Bonnensis parentes provecta aetate amisit. Quinque consanguinei adhuc inter vivos bona valetudine sunt. Aegrota ipsa infans optima utebantur sanitate. Duodecim annos nata primum menses exstiterunt, qui regulariter fluebant. Duodeviginti annos nata nupsit viro robusto, cui sex liberos genuit, quorum duo adhuc inter vivos sani et firmo corpore sunt. Ante tres annos a marito infecta, sine medici auxilio mansit. Postea ex ea infectione bubo sinistrae regionis inguinalis accessit et fluor albus, qui etiam nunc adest. Bubo cataplasmatis adhibitis erupit. Ad usum internum datum est infusum spec. lignor. Maritus ipse medici auxilio sanatus, femina relicta, emigravit. Ex quo tempore aegrota multum cum aliis viris se coiisse libere profitetur, atque iterum gravida facta est. Partus in clinico nostro obstetricio editus est. Os uteri marginibus callosis et duris insigne, scalpello dilatatum, infans forcipe extractus post nonnullas dies syphilide mortuus est. Non diu e Clinico obstetricio dimissa aegrota die secundo mensis Novembris eiusdem anni, oculorum inflammatione valde laborans in clinicum chirurgicum venit.

Aegrota mediocri statura, pallida facie, profusa leucorrhoea laborat. Syphiliticorum ulcerum cicatrices nusquam detegi possunt, in sola regione inguinali sinistra cicatrix

bubonis, quam antea commemoravimus, se ostendit; fauces ab ulceribus liberae sunt. In cute permultae maculae rubidae et tubercula animadvertuntur, quae facie ac capite exceptis per totum corpus profusae sunt, in ipsis manuum palmis psoriasis palmaris intelligitur. Malum praecipuum autem oculos cepit et maxime quidem Iridem. Inflammatio in dextro oculo orta sensim in sinistrum diffuderat. Membrana conconiunctiva valde rubefacta, acies admodum minuta, magna photophobia. Iris colorem primitivum perdidit et nunc fusca et striata, utraeque pupillae adhuc vivaciter se contrahunt, quod nondum magnam Iridis exsudationem adesse comprobat. Praeterea queritur aegrota de doloribus gravibus profunda in orbita sitis, qui super regionem supraorbitalem transgrediuntur atque maxime tempore nocturno exacerbant et prima luce remittunt. Ex anamnesi, sicut e morbo proprio cutaneo, psoriasi palmari itelligitur, Iritidem natura syphilitica esse, quare etiam autisyphilitica cura instituta est. Pluribus dosibus Calomelanos cum Ialappa sumptis, pluries hirudinibus applicatis, unguento cinereo cum extracto Belladonnae regioni supraorbitali infricto, vesicatorio imposito, Mercurius sublimatus corrosiv. usque ad salivationem datus est, quibus remediis Iritis sensim vehementiam amisit. Quae cura ad decimum septimum diem Ianuarii continuata est, quum sublimatum propter ventriculum offensum intermitti debebat. Eodem tempore in aegrota magnae exostoses dextri tuberis frontalis se praebebant, quas brevi tempore similes sinistri tuberis sequebantur. Quum etiam tunc psoriasis nondum evanuisset, ad remedium fortius transiri debebat, praesertim quum aegrota sublimatum perferre non posset; inunctiones mercuriales sunt ordinatae, quae necessariis praeparationibus factis ʒIβ inceptae sunt. Post octavam inunctionem aegrota abluta est; vehemens salivatio et ulcera oris aegrotam in tristem statum redegerunt, sed psoriasis penitus evanuerat, exostoses valde

diminutae et brevi tempore damnis, ex inunctione profectis, remotis, sanata clinicum nostrum relinquere potuit; oculus dexter prorsus restitutus, in sinistro vero pupilla exsudato clausa erat.

G. P. coniux 36 annos nata e vico Niederich, infans semper ab omnibus morbis libera fuit. Ante fere annum dimidium aegrota in labiis pudendi maioribus partes excoriatas adnimadvertit, quae postea sine ulla medici cura evanescebant. Puer, quem ante duos menses genuit, exanthemate laborasse dicitur, non paulo post est mortuus. Aegrota ipsa, quum die decimo quinto mensis Septembris in clinicum nostrum reciperetur, speciem mulieris cachecticae prae se ferebat, facie erat lubrida, musculis laxis et infirmis. Magnum ulcus vorans ex angulo oris sinistro usque ad genas vergit. Psoriasis et brachia et crura continet, praeterea in tibiis ambis plura tubercula exulcerata animadvertuntur, in introitu vaginae duae adsunt cicatrices induratae. Quum etiam ex anamnesi affectio syphilitica sine ullo dubio esset sumenda et aegrota domi iam dudum Sublimatum sine utilitate adhibuisset, ad illinitiones mercuriales confugimus. Post illinitionem septimum ulcus anguli oris omnino coaluit, Psoriasis diminuta est, tubercula crurum exulcerata nondum omnino remota, lapidi infernali, solutioni cupri alumin. sensim decedunt. Aegrota, tum diaeta corroboranti adhibita die 21to mensis Novembr. clinicum reliquit, admonita, ut domi per aliquod tempus a frigore et humore tueretur. Sed miserrima conditio aegrotam coëgerunt per nivem et imbrem omnibus damnis obviam ire, quare paulo post eodem malo affecta rediit. Crustae crassae flavae, rupiae similes, areae rubrae adhaerentes, per totum corpus, maxime per faciem sunt diffusae. Inunctio iterum est instituta unguent. ciner. ʒII. Post inunctionem octavam aegrota abluta est, quoniam ob diarrhoeam vehementem cura longius produci non licuit. Quamquam omnes cutis affecti-

ones hac cura fere omnino decesserunt, ulcera duo cruris omnibus remediis restitere. Neque decocto Zittmann. removeri potuerunt. Nunc aegrotae Mercurius ad usum internum datur, cuius effectus adhuc est exiguus. Ex illinitione nova magna utilitas sperari licet.

M. H. scriba cubicularius viginti quatuor annos natus ex oppido Essen die XVI. mensis Ianuarii in clinicum receptus est. Mense Novembri anni MDCCCLI primum gonorrhoea infectus est, quae materiam sanguinulentam et serosam secernebat, post quindecim autem dies, medico non adhibito, evanuit. Haud multo post iterum gonorrhoea, quae hebdomades tres durabat, exstitit. Postquam anno MDCCCLIII aegrotus tertium eundem sibi morbum attraxit, qui etsi sensim decedebat, tamen post menses duos et dimidium squamas et pustulas super totum corpus prolatas trahebat, quae passim in ulcera profunda vertebantur. Auctamno anni MDCCCLIII testiculi sinistri ortus est tumor, qui modo evanescebat, modo apparebat. Mense Martio anni MDCCCLIV ulcera labii superioris prodierunt, quae quum ipsa maiore ex parte sensim ad cicatricem tenderent, versus sinistram nasi alam progrediebantur. Mense Septembri anni MDCCCLV denique tria ulcere glaudis, duo praeputii emerserunt, quae utrum infectione nova an morbo secundario orta essent, constitui nullo modo potuit, quamquam aegrotus occasionem inficiendi adfuisse haudquaquam negabat. Quod iam antequam in clinicum receptus est hydrargyro, et maxime quidem sublimato, tum specie ad decoct. lignor. usus est, ulcera et pustulae epidermidis permultae, exceptis macula leprosa brachii dextri, ulcere nasi huic morbo proprio ac cicatrice glandis penis adhuc indurata, sanata sunt. Quod et ex anamnesi et ex ingenio variorum cutis ulcerum affectio universalis minime erat neganda, curá antisyphilitica fortior est instituta, quare inunctio est ordinata mercurialis. Balneis duodecim praeparantibus

praemissis, aegrotus unguento hydrarg. ciner. ʒII methodo notissimo inungebatur. Quum salivatio immensis, ulceraque non mediocria oris ingruerent, ac lingua intumesceret, aegrotus ablutus est. Quae sex frictiones sufficiebant, ut aegrotus paullo post restitutus die quarta mensis Iunii clinicum nostrum relinquere posset. Tumor testis quidem multum deminutus, sed non omnino remotus erat.

J. E. viginti quatuor annos nata sanorum parentum filia usque ad annum vigesimum primum optima utebatur valetudine, quo tempore exanthemate est comprehensa, quod rubro colore insigne aegrotae nullos parabat dolores. Haec cutis eruptio paulatim per totum corpus progressa est. Haud paulo post aegrota oculorum morbo affecta est. Quamquam constitui non potest, a quibus partibus illud malum initium ceperit, tamen iris maxime aegrotasse videtur; cruciabatur enim aegrota maximis doloribus praecipue nocturnis. Aderat maxima photophobia. Postquam diversis locis contra malum auxilium quaesivit, die sexto Ianuarii anni MDCCCLIV in clinicum nostrum venit. Aegrota sana corporis constitutione et robusta esse videtur, hilari ingenio; absunt omnia scrophuloseos vestigia. Infectione syphilitica se nunquam laborasse confirmat neque usquam cicatrices ulcerum priorum detegi possunt, genitalia omnino sana sunt neque in faucibus aut perforatio aut aliud damnum inveniri potest; menses ex illo iam tempore non fluxere. Quod ad oculorum malum pertinet, coniunctiva membrana minus inflammata est, in inferiore parte corneae amborum oculorum exsudatum animadvertitur. Iris fusco, haud normali colore, capsulae adnata, pupillae immobiles, oculi dextri minor quam sinistri, margo pupillaris iridis non rotundus, sed ungularis et crenatus In exsudato oculi dexteri coagulum sanguinis animadvertitur magnitudine capituli acus. Queritur aegrota praeterea de dolore fusco in oculis interioribus sito, acies visus ita est diminuta, ut aegrota

lucem a nocte tantum discernere possit. Maculae supra memoratae per brachia et crura dispersa sunt, rubro colore, magnitudine nucis usque ad pisi; squamulas parvas detundunt. Quamvis anamnesis non edidit, aegrotam unquam syphilide laborasse, praeterea nusquam vestigia ulcerum syphiliticorum detegi possunt, tamen ex tuberculis cutaneis, quod attinet ad formam et colorem, tum ex propriis doloribus et ingenio iritidis, affectio syphilitica maxima probabilitate sumenda est. Quod attinet ad curam, ante omnia dyscrasia syphilitica amovenda esse videbatur, quare aegrotae dabantur per longum tempus pilulae ex hydrarg. bichlorat. corrosiv., donec salivatio vehemens exsisteret; quo medicamine affectiones cutaneae non multum removebantur; lotiones solutionis Hydrargyri bichlor. corros., eodem modo non multum profecerunt. — Tum aegrota inunctioni est subiecta. Post octavam inunctionem tubercula cutanea valde deminuebantur. Aegrota fere totum annum in cura mansit, per quod tempus ad catarrhactam spuriam et pseudomembranam removenda in dextro oculo quater, in sinistro ter operatio est facta. Quum dimitteretur aegrota, visus erat ita restitus, ut sola facile circumire posset.

S. B. Bonnensis, viginti unum annos nata, die vigesimo sexto mensis Ianuarii anni MDCCCLV in clinicum recepta, laborat ulcere syphilitico alae nasi dextrae, perforatione palati duri, necrosi septi et ossis nasalis dextri.

Post inunctionem septimam ulcera fugerunt, ossicula nonnulla carie perdita removebantur, foramen palati duri multum arctius factum est, aegrota die vicesimo tertio Martii senata demittebatur. — Simili affectione laborat

S. S. e pago Neroth apud Daun sito. Palatum durum et molle perforatum, caries ossis vomeris, ulcera septi erant damna, quibus vexabatur aegrota, quum die decimo quinto Ianuarii in nostrum clinicum venit. In nares iniiciebatur so-

lutio calcariae chloratae. Inunctiones instituebantur. Quum autem post secundam iam inunctionem vehemens existeret diarrhoea cura interrumpi debebat. — Haud multo post diarrhoea fugata reiterata est. Post frictionem octavam, quam aegrota tunc bene pertulit, ulcerum malignitas erat remota, brevi tempore consanuerunt. Foramen palati duri magis quam dimidia parte erat diminutum, ad quod obstruendum aegrotae lamina e gutta percha est data. Die vicesimo tertio Martii sanata domum revertit. Tribus fere mensibus post aegrotam iterum in clinico videndi mihi fuit occasio. Se habebat bene et laudabat medicos.

Vita.

Natus sum **Emmericus Schütz** in pago Weschede haud procul sito ab urbe Attendornia mensis Novembris die sexto anni MDCCCXXVII, parentibus **Franzisco** et **Eva** e gente **Stump**, quos superstites et bona valetudine utentes summa amplector venerorque pietate. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus progymnasium Attendorniense frequentavi, tum gymnasium Coloniense catholicum, deinde, examine maturitatis superato, initio mensis Maii anni MDCCCLI Bonnam me contuli ibique a rectore magnifico **Argelander** in numerum civium academicorum receptus a decano illustr. **Martin** albo ven. facultatis theologicae inscriptus per annum dimidium scholas tum philosophicas tum theologicas habebam apud proff. illustr. **Knoodt, Hilgers, Velten, Vogelsang, Dieringer.** Tum relicto studio theologico, albo gratiosi medicorum ordinis a decano spect. **Naumann** inscriptus per quadriennium apud hos proff. illustr. habebam scholas: **Knoodt, Plücker, Bischof Troschel, Nöggerath, Treviranus. Boedecker, Mayer, Weber, Budge, Albers, C. O. Weber, Kilian, Naumann, Wutzer.**

Hisce viris omnibus maxime de me meritis gratias ago quam maximas.

Theses.

1) *Perinaei incidendi indicatio nulla est certa.*

2) *Medicus ne sit iudex morum.*

3) *Punctio vesicae urinariae per lineam albam praestat illi per rectum.*

4) *Medici id prae omnibus, ut praesto sit ubique et semper.*

5) *Medici forensis tantum est, non quid ipse velit, sed quid iudex recte interroget, stricte respondere.*

6) *Vena portarum, porta malorum.*

7) *Medico multum prodest, chirurgiam inferiorem per praxin didicisse.*